

obloquitur, vel in urbe disseminat. Ne credas me aliquid reticere velle, circa rixam illam, quam forsán ipse Forskål transscripsit, en aliam eius partem, alio die peractam! Cum semper Forskål suam præcellentiam, tamquam Linnæi discipulus, præ me extollere & mihi tacite quasi comprobare studeret, quondam ille defendebat (sine occasione sibi data) neminem nisi Linnæi discipulum intelligere posse characteres rerum naturalium in systemate Tuo traditos (quasi illi non ab aliis quoque aliis verbis tradi possent!). Ego regero: quidni? si Linnæus autores citat, ubi eadem res aliis verbis immo figuris præfiguratur, & si quis ipse illa subjecta possidet, quare non intelligeretur eius descriptio? e. g. si *Is antennas mordellæ* appellat filiformes & *cerambycis setaceas*, tum statim ex considerata utriusque figura scio, qualis idea cum illis terminis sit conjungenda, & si mihi hoc placuerit, potero semper iisdem terminis ad Linnæi sententiam uti. Ille proponebat exemplum: quid intelligatur per cochleam rostro vel canaliculo effuso? Respondeo: procul dubio illum terminum metaphorice esse intelligendum pro porrecto (ausgeschweift) (loquebamur germanice); nam eam esse effusi significationem. Sed ille: falleris maxime! naso aduncum regerebat, designat enim ille character cochleam, cuius rostrum vel canaliculus aquam infusam sub situ orificii horizontali effundit. Itane! ego regero, nec propter eius nasum aduncum monstratum poteram cohibere: In tali casu sane honori mihi duco, me non intellexisse sensum characteris illius. Nam hoc ad genuinum idioma latinum grammaticæ exprimendum fuisset: canaliculo effundente (non effuso) scilicet aquam. Erubescibat ille ea vice. Malo Te scire rixas nostras integras, quam ab Forskålio malitiose corruptas, Tuoque tum iudicio relinquam, num hoc, ex ita lacessito me, male suscipere velis responsum.

Ne adeo serio finiam, accipe anecdoton aliquod jucundissimum ad historiam natur. pertinens. Nuper D. Ascanius & Rolander in musæo D. Oberhofmarschalli, Moltke, mira curiositate perlustrabant caput ingens Testudinis (non majus tamen vitulino). Manu volvebant Tuum Systema N. & ad eius